



# The Holy See

---

**PAULUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *BLANTYRENSIS (CHIQUAVANAE)* \* EX**  
QUIBUSDAM TERRITORIIS AB ARCHIDIOECESI BLANTYRENSI DETRACTIS NOVA IN MALAWIANA REGIONE  
CONSTITUITUR DIOECESIS,

«CHIQUAVANA» APPELLANDA. Ad Christi regnum in universae terrae gentes et populos proferendum summam, uti par est, curam, summum studium adhibemus, utpote qui, tamquam divi Petri successores, omnibus et ovibus et agnis consulendi officio teneamur. Libentissimo igitur animo accepimus quod venerabilis Frater Ioannes Baptista Hubertus Theunissen, sacer Blantyrensis Antistes, proposuit Sacrumque Fidei Propagandae Consilium, post auditum venerabilem Fratrem Vidonem Del Mestri, Archiepiscopum titulo Tuscamiensem et in Africa Orientali Apostolicum Delegatum, constituit, ut scilicet quibusdam eiusdem archidioecesis Blantyrensis territoriis nova conderetur Sedes cathedralis: quod enim non solum christianis fidelibus maximae futurum utilitati putavimus, sed compluribus iis etiam qui nondum sint intra Christi ovilis saepa recepti. Qua de re, suprema et apostolica Nostra usi potestate, ea quae sequuntur decernimus ac iubemus. Ab archidioecesi quam diximus, districtus civiles seiungimus, qui per vulgus appellantur Chikwawa et Port Herald iisque novam dioecesim condimus, *Chiquavanam* appellandam, cuius limites hi erunt: ad septemtrionem, territorium archidioecesis Blantyrensis; ad meridiem, occidentem atque orientem solem, territorium Mozambicanae regionis. Constitutam dioecesim, cuius Sedes metropolitana Blantyrensis erit, curis concedimus sodalium Societatis Mariae Monfortanae, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis nutum. Episcopi sedes in urbe vulgo Chikwawa cognominata ponatur; episcopalis vero magisterii cathedra in principe eiusdem urbis templo, quod ad dignitatem cathedralis attollimus, cum iuribus et privilegiis congruis. Curet etiam Episcopus ut, pro Canonico collegio quod in posterum per alias sub plumbo Litteras condetur, Consultores dioecesanos deligat, qui sibi consilio et ope adsint; utque Seminarium struat iis pueris accipiendis atque efformandis qui Dei instinctu ad sacerdotium vocentur. Has autem Litteras Nostras ut ad effectum adducantur studeat venerabilis Frater Vido Del Mestri, quem diximus, vel ab eo delegatus vir, qui sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Qui vero negotium perfecerit, congrua documenta exarabit ad Sacramque Congregationem de Propaganda Fide mittet, de more signata sigilloque impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria

praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die altero et vicesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri altero.*

<p style="text-align: center;"><i>Pro S. R. E. Cancellario</i></p> <p>HAMLETUS I. Card. CICOGNANI</p> <p style="text-align: center;"><i>a publicis Ecclesiae negotiis</i></p>	<p>GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN</p> <p style="text-align: center;"><i>S. Congr. de Prop. Fide Praefectus</i></p>
---	---

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens*

Ioannes Calleri, *Proton. Apost.*

Sylvius Romani, *Proton.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LVIII (1966), n. 4, pp. 257-258 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana